



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Confessionis secretum quomodo seruandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

ficio, quod illi cum pœnitente est, maioreque apud eundem in auctoritate habeatur, in decernendis ijs omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, nō solum fugiet studiosè avaritiam, sed etiam omnem eius, vel minimam suspensionem. Nominatim autem pecunias, vel aliquid huiusmodi pro confessionum audientia non petet, etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum quidem, vel minimum eius ostendat: quin potius voce, & re ipsa declaret animum se prorsus abhorrentem à talibus habere. Cùm pœnitenti iubebit, ut Missæ Sacrificium faciat vsquam peragi, nec rectè, nec obliquè significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus ijs, cum pœnitens, vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere debet.

Sed neque pecunias, aliave, quæ à pœnitente restituenda sunt, proprijs dominis in se prouinciam reddendi assumat: nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quòd cùm erit ab eo factum, curet, ut is cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti consignet, ac planè eo modo procedat, ut omnem speciem, & signum avaritiæ subterfugiat.

Confessionis secretum quomodo seruandum.

Præ omnibus autem Confessarius caueat, ne verbis, vel signis, vel quocunque alio modo, peccatorem, vel peccatum ipsum, vel aliquam circum-

circum-

circumstantiam personæ, cum qua peccatum est, prodat; denique verbum nullum ex ore eius excidat, ex quo aliquo modo in peccati quantumvis leuissimi, quod in confessione dictum sit; notitiam veniri possit.

Cumque pro rei alicuius controuersia, quæ in confessionem incidit, clariore definitione consilium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur, necesse est: tractetur igitur, vel cum ijs hominibus, ac modo tali, ut is, qui peccatum commisit, nullo modo deprehendi possit. Ideoque consultum videtur, ut nullam planè apud alios mentionem faciat vlllo tempore peccatorum, quæ in confessione audiuerit: quod si postea necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui contingat; id quod nisi præfata venia faciat, & ipsum colloquium obtinebit vim confessionis, quantum ad secreti silentium attinet. Si pœnitens à Confessario postulet testimonium sibi dari, quo se eius confessionem audiuisse fateatur, quòd illud dicat se velle Pastori suo ostendere, quod semper in confessione Paschali facere tenetur, eam secundam formam, quæ infra ponitur, scribat. Atqui eo quòd attestacionum harum multa exemplaria impressa singulis dabuntur Confessarijs, curet Confessarius, ut suas præ manibus habeat, nullisque eas tradat, nisi quorum confessiones audiuerit. Attestacionis formula hæc erit: *Anno, die, talis Mensis, Sacramentum pœnitentiæ administravi N. habitanti in parochia N.*

Scribat in primo albo diem quo pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio no-

mea

men & cognomen, quarto parochiam in qua pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen & cognomen suum scribat cum titulo beneficii vel officij Ecclesiastici, à quo cõmuniter denominari solet, veluti, Rector, Vicerektor, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit habitans in Monasterio N. Atqui quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarij manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarij subscriptio. Utile præterea erat si Confessarij omnes in tabulis nomen & cognomen scribant eorum, quibus dictas attestationes subscriptas tradiderunt, seruentque eas tabulas penes se, vel post octauã Paschæ nobis, aut si in Diœcesi sint, Vicarijs nostris forensibus exhibeant, idque vt exactius animaduertere possimus, num fraus aliqua in dictis attestationibus à non confessio quodam facta sit.

Pro maiore Confessariorum instructione, atque in iuuandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum administrarunt, vt certa quadam forma vtantur, qua pœnitentes in gratia accepta perseverare, ac progressum facere doceant, infra scriptas adiunximus admonitiones.

Confessarij erga pœnitentes quales esse debeant.

Confessarij omnes, quemadmodum Patres spirituales decet, circa pœnitentes suos summam prudentiam adhibeant, necesse est, vt instruantur, diriganturque paulatim ad virtutes Christiano homine dignas. Peculiariter autem

Gg

indu-